

satellitibus et servis cinctus. Vanitas es, o dives, qui divitiis tuis confisus, omnia te posse credis. Vanitas, o mulier, quæ gratia vultus tui dominari te regi putas. Si autem omnis homo stans et vivens est universa vanitas: quid, inquit S. Hieronymus, homo cadens, moriens et mortuus?

CONCIO II.

DE HIS QUÆ POST MORTEM HOMINI CIRCA CORPUS EVENIUNT.

- I. Mortuus quid in domo? — II. Quid in fanere? — III. Quid in sepulchro? — IV. Quid in mausoleo? — V. Quid in ossium cumulo?

THEMA.

Ego vox clamantis in deserto: Dirigate viam Domini. Joan. I.

Quemadmodum Christus ante primum suum adventum in mundum, voluit præmittere præcursorum suum Joannem, qui mundum innumeris vitiis irretitum disposeret ad recipientum Salvatorem, a blueret a vitiis, et prædicaret ei pœnitentiam: ita ante secundum adventum suum in judicio universalis præmittet præcursorum Henoch et Eliam. Sed numquid etiam ante suum adventum, qui in judicio cujusque particulari fiet, præmittit præcursorum aliquem qui viam Domino præparat, et homines ad recipiendum venturum judicem disponat? Imo vero etiam. Et quis est hic præcursor? Mors, quæ judicium id præcedit. Ut enim Baptista dictum ab ejus patre: *Praebis ante faciem Domini parare vias ejus: ita de morte dicit Habacuc. III. ante faciem ejus (Dei videlicet) ibit mors.* Magnus præcursor Joannes: magnus etiam præcursor mors. Magnus prædictor Joannes: magnus item prædictor mors: vox clamantis Joannes, vox clamantis mors. Clamabat Joannes: *Dirigate viam Domini;* clamat hoc idem mors. Clamabat Joannes non voce tantum, sed victu et vestitu, quia locustas edebat, et pilis camelorum induebatur: clamat eodem modo mors, quia et vermis pascitur, et nonnisi osibus, vel ad summum uno linteo vestitur. Clamat Joannes in deserto, clamat et mors in sepulchro. Baptizabat Joannes dum ad se venientes aqua mergebat: baptizat etiam mors, quia venientes ad se terra operit. Clamabat Joannes: *Veniet fortior me post me, cuius ventilabrum in manu ejus et purgabit aream suam et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburit igni inextinguibili:* clamat hoc et mors. Terruit multos Joannes sua prædicatione, ut venient et confiterentur peccata sua. Terret multos et mors, ut peccatorum onere, adeoque vetere homine deposito, novum induant, quo securae ad Deum judicem hinc discedant: id quod

experiencia quotidiana docet. Veniat enim mors in domum aliquam, o quam omnia silent! O quam omnia lugent! O quam curritur ad sacerdotem pro confessione et viatico! Magnus itaque præcursor Joannes: magnus etiam præcursor mors. Atque utinam præcursoris utriusque vocem audiremus! O quam bene parati non modo ad festa ventura, sed etiam ad judicem nostrum veniremus! Præcursorum Joannem jam hoc adventu intonantem audivimus: audivimus etiam ex parte mortem: sed nondum omnino audivimus. Prima concione deduximus hominem per viam asperam usque ad mortem: secunda, ejus animam per viam periculosam usque ad judicium, restat ut hodie deducamus corpus, per viam lugubrem usque ad sepulchrum.

I. Clamat defunctus adhuc in domo jacens: et quid clamat? Vide cui fidas: nimirum fidem non habendam diabolo, carni et propinquis. Diabolo, quia is persuadebat initio nobis nequam morituros, si comederemus de ligno vellito; sed fore sicut deos: et adhuc nobis persuadere non cessat, saltem non morituros tam brevi, florente ætate, etc. *O plene omni dolo, quid sibi vult cadaver istud?* Hoccine non est mori? Ubi in eo sensus, ubi motus, ubi loqua, ubi color vividus, ubi vitæ functiones? Hoccine est non mori? Sane quando Adam primum hominis cadaver intuitus est, quid putatis eum cogitasse? Puto ego cogitasse: *O nequam, ubi est illud tuum Nequaquam, de quo mihi dicebas: Nequaquam mori emini, sed in quacumque hora comederitis, eritis sicut dii, scientes bonum et malum?* Itane sicut dii sunt, qui ne sicut homines quidem amplius sunt? Imo ne sicut bestiæ? Itane sciunt bonum et malum, qui sensum et loquela omnem perdiderunt? Itane aperiuntur oculi, cum clauduntur nunquam aperiendi? Paulo ante hoc corpus cantabat, saltabat, ludebat, epulabatur, unguentis se et serico ornabat, nunc uti truncus jacet. Et verius dicere tunc defunctus potest: *Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis.* Psal. XXI. Ecce quomodo homo, unus ex diis factus est! O quam vani sunt igitur qui dæmoni fidunt! Itaque recte in confusionem hujus deceptoris et nostram, qui illi credidimus, toties in libro Genesis ingeminatur illud: *Et mortuus est;* ut ita nobis ostendatur, qualis deceptor sit diabolus, et quam stulti, qui ei fidunt. Et hoc ipsum nonne quotidie nobis inculcatur, dum videmus in dies mori homines, etiam qui sibi longos promittebant dies. Nonne dicimus: *Et hic vir mortuus est, et ille juvenis mortuus,* etc. Et tamen ita vivimus, quasi nequaquam essemus morituri. Facit hominibus dæmon, quod carnifex reum occisurus, qui ju-

DOMINICA III. ADVENTUS.

bet eum esse securum, et recitare Pater Noster, loqui cum sacerdote; interim cum ille vix medium absolvit, caput ei amputat. Sic suadet dæmon: Nondum morieris, esto bono animo; interim ferit hominem mortis ictu.

Secundo, etiam clamat, ut ne fidamus carni quæ in vita adeo blanditur, seque tam speciosam monstrat, et merefricio cultu adornat, cum intus plena sit foetore et putredine. Nam idipsum corpus, quod paulo ante sua pulchritudine pectantum ad se oculos rapiebat, plurimos alliciebat procos et certamina amoris excitabat; vide nunc quam sit deforme, foetidum et exosum. Hoc est illud corpus, quod olim cantilenis celebrabatur, cuius oculi pro gemnis, genæ pro rosis, os pro auro, capilli pro holoserico, vox pro melodia venditabatur. Et ubi nunc oculi illi? Ubi genæ? Ubi os, capilli, vox, membra delicata? In pallorem, in foetorem, in horrorem mutata sunt, nemo jam intueri vult: omnes occludunt nares, et festinanter transeunt; velut si cadaver alicujus canis in via jacentis cernerent. Accede hue, juvenis, aspice et deosculare vultum amasiæ tuæ, vide quam amaveris; veni huc, assentator, osculare manum domini tui, vide quem colueris. Sed tantum abest, ut jam diligatur ejusmodi corpus, ut potius odio sit et horro; et proinde defunctus verissime dicere possit: *Qui viderunt me foras, fugerunt a me.* Psal. XXX. O quam vani igitur qui carni serviunt! Juxta lacum Asphaltitem ubi Sodoma exusta fuit, nata fuere poma, ad speciem quidem pulcherrima, intus tamen plena favilla et putredine, quæ ubi vel leviter attrectares, in cinerem et favillam resolvebantur, ut refert Tertul. vel Cyprian. in car. de Sodoma. Talia sunt speciosa corpora, quæ externa quidem sui specie omnium ad se rapiunt oculos: ubi vero morte tanguntur, et dividuntur in duas partes, corpus scilicet et animam, putidisima inveniuntur. Quod si jam tale pomum haberet, num quæso tu id dentibus, admorderes? Num edere auderes? Nequaquam credo, forte nec in manibus gestares, sed in cloacam abjiceres. Et quid colis, quid amas, quid oscularis et amplectaris, dum impudico amore carnem oblectas? etc. Pomum Sodomiticum colis, plenum cinere et foetore: cadaver colis. Contemplare igitur cadaver, et senties forte quod juvenis ille, qui cum ob oculorum pulchritudinem teneretur amore cujusdam sanctimonialis, illa insidias metuens, eruit sibi oculos et juveni transmisit, ut videret quid' amaverit: quorum aspectu juvenis mox in alterum virum mutatus, amorem carnis cum religionis commutavit ingressu, ut scribit Sophron. in prato spirit. LX.

Tertio, etiam clamat quantum fidei sit haben-

dum propinquus, qui simul ac oculos clauseris relinquunt te solum in cubiculo, uno tantum accenso lumine, et in potestate eorum, qui te sepulturæ tradent: vehementer etiam urgebunt, ut quamprimum e domo ejiciaris: interim jam de hæreditate cogitabunt, rebus tuis inhabant, et multa clanculum auferent: bona vero a te parta non cum gratiarum actione, sed quasi de jure sibi debita invadent, et pro iis altercabunt: et siquidem in testamento ad pias causas aliqua legaveris, tibi maledicent, et conabantur omnibus modis ea supprimere et retinere: quod si bene de te meritis nihil legaveris, maledicent tibi et hi. Tandem unico linteo te donabunt, et ita deplumatum ad sepulchrum efferent: quemadmodum testatum voluit de se Saladinus princeps Egyptius, cum moriens præcepit interulam suam circumferri in castris hastæ appensam: quo omnes inteligerent nihil ipsi ex tantis opibus reliquum fuisse, præter hanc interulam. Ut refert S. Antonius II. chron. lib. XVII. cap. IX. O quam vere hic posses dicere: *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium et vicinis meis valde et timor notis meis!* Ps. XXX. Et quod dixit Dominus: *Inimici dominis domestici ejus!* Matth. X. O quam cæci ergo sunt, qui tota pene vita sua liberis tantum et amicis provident, omnesque labores suos impendunt, animæ vero propriæ nihil! Non dico malum esse, liberis prospicere, amicis benefacere; sed malum et stultissimum esse, illis tantum et sibi non magis prospicere. O duri in vos parentes! Interrogate jumenta: annon ipsa prius se pascunt, quam suos foetus? An non propriæ vitæ et saluti potius consulunt, quam pullorum? Vidi quidem vulpeculam eriperre conantem catulos suos ex ore canum undique circumcursantium; sed ubi canes matrem arripere volebant, ipsa mox aufugit et catulos reliquit. Cur igitur vos corpori filiorum potius, quam animæ vestræ consultis?

II. Clamat in funere, dum effertur ad sepulchrum. Et quid hic? O quam male remuneratur mundus! Nimirum mundi pomparam et obsequium damnat. Effereris enim aliis humeris, de propriis ædibus; aliis cantantibus, aliis vero plorantibus, hoc est, aliis lamentibus de morte tua, aliis vero dolentibus, comitantibus notis et vicinis tuis (si tamen hæc tibi sors contingat, et non potius sepulcrum asini sortiaris) qui tamen omnes simul ac depositus in sepulchrum fueris, memoriam tui deponent, et perpetua te oblivione sepelient, sepulchrum tuum nunquam forte revisuri: quorum multi postea de te male loquentur, et peccata tua propalabunt, quæ viventi objicere non audebant. Atque ita verissime dicere tunc posses: *Oblivioni datum sum, tamquam mortuus a corde: factus sum tamquam*

*vas perditum, quoniam audiri vituperationem multorum commorantium in circuitu. Ps. XXX. quasi dicat non tantum ex oculis, sed etiam ex hominum memoria, et corde abjectus sum : et quemadmodum cum vas aliquod elegans in mensa frangitur, omnes clamant et ingemiscunt : postmodum vero ubi id in cloacam ejectum fuerit, nemo ejus meminit amplius : ita mihi evenit. Quid enim haec pō mpa funebr , nisi communis ejulata super fracto vase et defuncto amico ? Sed ubi in sepulchrum ejecutus fuerit, omnes ad sua redeunt et defuncti obliscuntur, quasi nunquam eum novissent. Unde verissime Sapiens cap. V. ait : *Transierunt tamquam avis que transvolat in aere, cuius nullum inventur argumentum itineris illius, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum.* Sonitus aeris funebris pompa est, qui tamdiu auditur, quamdiu effertur e civitate mortuus, postea non amplius. Major avis majorem strepitum facit quidem, sed æque transit, sic et dives. Quod si odorem aliquem bona famæ relinquis, etiam ipse parum durat apud homines. Unde Job IX. dicitur : *Dies mei pertransierunt, quasi naves poma portantes.* Quia nimur uti naves illæ non aliud post se vestigium relinquent, praterquam odorem aliquem, modicum durantem, ita et defunctus brevissimam sui memoriam. Et hoc est totum illud, quod tibi mundus rependit pro omni illo servitio, quod ei tamdiu impediti. Nemo ibi tecum moratur, sed omnes mox revertuntur : ut merito id Job c. VI. dicere possit defunctus : *Fratres mei præterierunt me sicut torrens, qui raptim transit in convallibus;* quia scilicet raptim intrant cœmeterium, et raptim egrediuntur. Item quia torrens transiens madefacit lapides, postea mox relinquit sicclos, quasi nunquam per eos transisset; sic oculi amicorum in morte amici maledicunt, mox postea siccantur. Unde recte Sapiens vocavit eos levem ventum percussum ab alis aviculae, quia levis est mundus in suo luctu. O insanos igitur mundi amatores, qui tam pro inani mercede tot laboribus ei deserunt, et placere student ! O ingratum mundum, qui tam male remunerat præstita sibi obsequia ! Nimur uti Dionysius tyrannus citharedum quemdam, quem ad sui recreacionem conduxerat diuque audiverat, magna spe præmii lactavit, postea vacuum dimisit, dicens se gaudium gaudio rependisse ; quod inani spe replesset animum citharedi, quemadmodum cithareodus inani sono repleverat aures tyranni : ta et mundus agit cum suis asseclis. Postquam enim diu sudarunt homines, ut mundi plausum et favorem captarent, adeoque quasi inani musica eum oblectarunt : hoc solum eis rependi mundus, quod sepeliendos comitatur et*

vanissimum eis epiphonema accinit, plus saepè vituperii, quam laudis continens. Atque ut demus nomen alicujus defuncti optimum post se relinquere odorem apud homines : quid hoc juvat mortuum, præsertim si ipse in damnatione sit ? Num eum a gehenna eripere mundus potest ? Num illa mundi laus pœnas ejus mitigare ? Minime gentium. Sic enim et Aristoteli et Alexandro Magno nihil omnino prodest, multis in hoc mundo praeconiis celebrari, cum animæ ipsorum in inferno sint, juxta illud, quod quidam vir sanctus de Aristotele dixit : « Condole tibi, Aristoteles, qui ubi non es, laudaris ; et ubi revera es cruciaris. » Quam felices contra illi, qui nulla prorsus mundi pompa, sed inter manus angelorum cum Lazaro mendico sepeliuntur et Deo præsentantur : quia nimur hic non mundo, sed Deo servierunt !

III. Clamat in sepulchro, cum in illud depnitur. Et quid illic clamat ? O quam exigui sumus ! Septem enim pedum sovea tibi fiet, satis superque ampla, cum te hic magnæ domus, multa prædia, ampla regna capere vix potuerint. Unde verissime Juvenalis dixit : « Mors sola fateatur, quantula sint hominum corpuscula. » Hoc agnoscens Severus imperator, urnam sibi parari voluit, in qua sepeliretur, quam crebro manibus contrectans dicebat : « Tu virum capies, quem totus mundus capere non potuit. » Diog. Nicæn. in ejus vita. Sepulchrum igitur avaritiam damnat ; cum enim sciamus nemini majorem assignatum iri habitationem, et ante hujus ingressum omnes spoliandos, qui fit obsecro, quod sua mediocritate nemo vult esse contentus sed novis et novis opibus accumulandis perpetuo inhiat. Fertur Constantinus, (inquit Eusebius in ejus vita l. IV. c. XXIX et XXX.) cuiusdam ex suis aliquando prehenso dixisse : Quousque tandem, o bone, inexplibilem hanc avaritiam cumulamus ? Deinde hasta quam manu tenebat, humi descripta humani corporis forma : Omnes inquit, vitæ divitias et totius orbis opes si haberes, tamen plus hoc a me circumscripto loculo non possidebis : et si illud fortasse possederis. Jam igitur si scias te a morte penitus spolianum, quid est quod adeo superflua queris opes ? Nescis evenire tibi, quod canibus venatoris solet, qui ostensa sibi a venatoribus præda, in eam incitantur et dimittuntur cum clamore : Cape, rape, cape, rape. Sed cum prædam apprehenderint post multam fatigationem, tunc venator baculo, tundit canum ora lateraque, perpetuo clamans : Relinque, relinque, atque ita canibus prædam eripit, qui eam cum dolore relinquere coguntur. Ita diabolus ostendit hominibus luxura, divitias, honores, et incitat eos ad persequendum : Ecce tibi ingens lucrum : equita, naviga, curre. Ubi vero prædam vix magno la-

bore, timore, periculoque et jam senescentes ceperint, tum adest mors venator, et per mortuos imprimis capita eis contundit, postmodum prædam omnino eripit, maximo eorum dolore. IV. Clamat in monumento seu mausoleo : o quam imbelles sumus ? Quantus vero Deus, qui etiam potentissimos quosque humiliare, et modico saxo claudere potest ! Quid enim monumenta illa marmorea sunt, nisi trophyæ victoriae, quam obtinet Deus de potentibus, sapientibus, divitibus ? Dicuntur quidem ea erecta esse ad honorem talis vel talis domini defuncti : sed revera potius honorem Dei testantur et loquuntur, cuius potentiae omnes cedent et subjici debuerunt : infirmitatem vero hominis, qui omnibus suis opibus, viribus et scientiis salvare se non potuit. Et hoc agnoscens Maximilianus I. imperator moriens jussit, ut quando inter vivos esse desiisset, cadaver suum omni hominum sorti consciendum proponeretur : « Ut ita, aiebat, vel meo exemplo discant omnes, nulla diademata, opes nullas, nec nulla imperia a morte eripere possidentem. » Reinhard. Hadamar. in instit. princip. Atque hanc ob causam Graecorum imperatoribus noviter electis quatuor genera lapidum de more afferebantur (ut refertur in vita S. Joannis eleemos.) ut inde eligerent, quoniam e marmore sepulchrum sibi construivellent. Hac enim specie monebant imperatorem suum Graeci, non jam deliberandum esse imperatori de morte (quaerat ei certissima esset) sed tantum de sepulchro, quomodo sepeliri vellet. Et propterea Alexandri Magni, qui immortalis haberi volebat, monumentum adeo irriserunt philosophi illi, cum ad illud conflüssissent, quemadmodum refert Petrus Alphonsus. Unus dicebat : Heri totius terræ spatiose Alexandro non sufficit, nunc trium quatuor ulnarum spatium illi sufficit. Aiebat alius : Heri potuit Alexander a morte multos liberare, hodie seipsum non potest. Alius cum aureum ejus loculum videret : Heri Alexander ex auro fecit thesaurum, hodie aurum facit ex ipso thesaurum. Alii : Heri Alexander terram oppressit, hodie a terra opprimitur. Ejus mater Olympias videns eum per aliquot dies insepultum jacentem, lamentabunda exclamavit : O fili, qui cœli participes esse studebas, ne iis quidem potiri jam vales, quæ mortalium communia sunt.

V. Clamat in ossium aggere, quid de proximo nostro sentire debeamus ; nimur omnes nos fratres esse, et neminem super alium extollere debere ; siquidem in eumdem locum omnium ossa sine omni præminentia aut discretione congeruntur, ita ut nec unicum ab altero discerni queat, quis rusticus, quis nobilis fuerit. Unde S. Augustinus lib. III. de natura et gratia, ait : « Respice sepulchra, et vide qui servus et domi-

nus, qui dives et pauper, etc. » Et Alphonsus rex Aragonia dicebat cinerem esse, qui principes ac privatos, divites et pauperes exæquaret. Panorm. lib. IV. de gest. Alphons. Ac propterea mors describitur cum falce, Apoc. XIV. (uti et communiter pingitur) quia uti falx æque secat aristas altiores ac humiliores, omnesque demum æquat, cum in unum fasciculum colliguntur, ita facit et mors. Quando cum latrunculis luditur, tum rex primo loco, secundo regina, postmodum rustici collocantur : ast finito ludo omnes in unum conjiciuntur sacculum, et fiunt æquales. Ita in mundo quidem alter alteri præfertur : sed in morte omnes fiunt pares. Obibat aliquando Diogenes sepulchra et conabatur discernere inter ossa nobilium et ignobilium, dominorum et servorum ; sed frustraneo labore : fatebatur enim discrimen se nullum invenire. Fertur equidem nobilis quidam percontanti stulto suo, discrimen id assignasse, quod crania quidem alba et nitida nobilium fuissent, nigricantia vero et maculosa plebeiorum. Sed et hic impegit : nam cum postea vidisset stultus ille, quosdam in patibulo pendulos, quorum crania ob pluvias et tempestates erant valde nitida, quæsivit e suo domino, num et isti nobiles fuissent ? Mirandum itaque vehementer, quod unus adversus alterum infletur, nobiliores præsertim adeo contemnunt humiliores, quasi specie ab illis different, cum sciamus omnibus esse eamdem nascendi et moriendi conditionem. Apud Pellionem bene conveniemus. Et hoc quidem merito dicimus ad invicem : Nam Pellio iste Deus est, qui nobis omnibus pellem induit (qui etiam vestes pelliceas primis nostris parentibus fecit) cum carne mortali nos vestivit, hanc vero nobis iterum detrahit per mortem, et in terræ gremio quasi in tinctura macerat, ac tandem omnes conjungit et commisces, dum in uno agere ossa omnium inter se confundit. Itaque cum dominus et servus nequeunt convenire, expectent parumper ; apud Pellionem istum omnes conveniemus. Quando maritus nimis prodigus, uxor nimis avara est, ideoque convenire nequeunt ; expectent parumper, etc. quando duo se mutuo tolerare nequeunt, quia capitali odio flagrant ; expectent, etc. quando duo se mutuo ad necem querunt ; expectent, etc. quando duo se mutuo amant et sicut optant, convenire nequeunt ; expectent etc. Ita Apollonius Thyanæus ad Nervam imperatorem, qui ejus præsentiam et alloquium desiderabat, rescripsit : « Nos quidem, o rex, diu simul erimus, ubi neque nos alii, neque alii nobis imperabunt : significans utrumque cito moritum (id quod brevi contigit). Philostor. I. VIII. de vita Apollonii. Quod si jam unum ex craniis vel ossibus illis juxta hodiernum Evangelium interrogaremus :

Tu quis es? aliud non audiremus, quam quod Joannes respondit: *Non sum.* Tune ex omnibus his potentissimus, sapientissimus, opulentissimus, pulcherrimus? *Non sum.* Tune es ille citharcœdus, saltator, disputator? *Non sum.* Tune illa saltatrix, speciosissima dea urbis nostræ: *Non sum.* Ita interrogabant et stupebant prætereentes Jezabelem a canibus devoratam: *Hæcine est illa Jezabel?* IV. Reg. IX. Hinc sunt illi oculi, illa labia, etc. Non sunt. Quid ergo es? *Ego vox clamantis in deserto.* Et quid clamas? *Dirigit via Domini.* Et quomodo dirigenda? Nolite credere diabolo, quia decipit: nolite fidei carnii, quia inficit: nolite fidere sanguini, quia deserit: nolite fidere mundo, quia deficit: nolite fidere mammonæ, quia officit: nolite fidere potentiae, quia non sufficit: nolite fidere superbie, quia interit. Si hanc vocem audiremus, sine dubio viam Domini dirigeremus. Audiebat aliquando S. Augustinus I. VIII. confess. c. XII. nondum conversus vocem clamantis: *Tolle lege, tolle lege.* Sed nondum eam agnoscens, cogitabat num forte pueri ludentes tale quid clamare solerent. Sed quia nihil horum audierat, librum accepit, legere incepit et obvium statim locum arripiens, inde conversus est. Non est ludus puerorum, vox ista defunctorum. Vox Dei est præcursoris mortis est, volentis nos præparare ad judicium. Igitur tolle aliquod cranium vel os defuncti, lege in eo: et quid legis? Idem quod Augustinus legit: *Non in commensationibus et ebrietatibus: non in cubilibus et impudicitiis; non in contentione et cœmulatione: sed induit Dominum Jesum Christum.* Rom. XIII.

CONCIO III.

EXTREMI JUDICII ET JUDICANDORUM MANIFESTATIO.

1. Manifestabuntur omnia peccata. — II. Accusabuntur rei: 4º. a propria conscientia, 2º. A diabolo, 3º. A hæsis, 4º. A Christo, 5º. A creaturis omnibus.

THEMA.

Tu quis es? Joan. I.

Facillima videtur esse quæstio hæc: Tu quis es? Revera tamen difficillima est, quia si Thaleti e septem sapientibus uni credimus, nihil difficilius, quam nosse seipsum. Thaleti assentitur Chilon, et ipse sapientum illorum unus qui solebat dicere: *Cave tibi ipsi*, sive *a teipso*; monens isto verbo, sibi quemque maxime debere suspectum esse, propertea quod sæpe homo sibi ipsi maxime sit hostis. Laert. I. 1. Utrique ad stipulatum Moyses, qui hoc idem fere dixit Deut. XV. iuxta Septuaginta scilicet: *Attende tibi ipsi.* (ubi Vulgata legit: *cave*). Nimurum homines multo sæpius et turpius decipiunt seipsum, quam ab aliis decipiuntur. Existimant se justos, quos tamen aliquando in judicio divino,

maximo suo damno et dedecore deprehendent injitos. Propterea ad quæstionem illam: *Tu quis es?* noluit Joannes categorice respondere, timens sibi ipsi, ne forsitan se deciperet. Vocem se esse dixit, hoc est, rem obscuram, quæ audiari quidem, sed nec videri, nec discerni potest. Neque S. Job respondere ad hoc ausus est. Ait enim ipse c. IX. *Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Neque Apost. Paulus, qui I. Cor. IV. ait: *Sed neque me ipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me Dominus est.* Unde ibidem quæstionem hanc remittit ad diem judicii, cum immediate subdit: *Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* Ita est, auditores, ita est. Omnes hic sub nube sumus. Unus ille diesclare nobis ostendet, qualis quisque sit. Id quod nunc audiemos.

I. Manifestabuntur omnia omnium peccata juxta versum illum: *Cunctaque cunctorum cunctis arcana patrebunt.* Sicut enim inter homines, judice sedente pro tribunali proponuntur facta eorum, qui judicandi sunt, ut omnes videant sententiæ æquitatem: ita in magno illo et supremo tribunali publice proponentur omnium facta, dicta, cogitata, quæ præmio vel pena digna, ita ut omnes et singuli intelligere possint, quid boni vel mali tota vita fecerint tam alii quam ipsimet. Hoc indicat Scriptura, cum ait Dan. VII. *Judicium sedit et libri aperti sunt: et Apoc. XX. Vidi mortuos magnos et pusillos, stantes in conspectu throni; et libri aperti sunt: et alias liber apertus est qui est liber vitæ: et judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* Libri hi conscientiæ sunt singulorum in utramque partem, quæ in judicio revelabuntur, ut scribit S. Hieron. in Dan. VII. et S. Ephrem I. de vera pœnitentia c. IV. «Formidabiles, inquit, libri aperientur, in quibus scripta sunt opera nostra et actus et verba et quæcumque egimus in hac vita: nec solum actus, sed et cogitationes et intentiones cordis.» Confirmat idem Apost. I. Cor. IV. cum ait: *Nolite ante tempus judicare quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, etc.* Ubi etiam indicat modum, quo hoc fieri, per illuminacionem scilicet mentium, quæ ita illustrabuntur a Deo, sicut colores et formæ rerum, quæ noctu latent in tenebris, a sole illustrantur et fiunt omnibus conspicuæ, ita ut non modo seipsum quisque, sed et alios aliorumque gesta intueri possit una cum omnibus circumstantiis et meritis eorum. Et quemadmodum sol restitut rebus colorum suum, quem nox atra illis abstulisse visa est; sic illucescente illo sole justitiae, unus-

DOMINICA III. ADVENTUS.

quisque suum genuinum et verum referet vulturn. Sane de nocte putrida ligna videntur esse lumina, et vermiculi lucentes videntur esse stellulae, sic in mundo reprobi multoties videntur esse justi et sancti. Itaque primo patebunt omnia facta notoria omnibus hominibus, perinde ac ipsis patratoribus; vel ac si in conspectu omnium essent patrata. Deinde patebunt omnia occulta in angulis et tenebris peracta: interna quoque uti cogitationes, desideria, intentiones. Tertio, speciatim patefient omnium dolii, fraudes, occultæ machinationes, hypotheses. Quarto, peccata in confessione occulta vel negata. Quinto, peccata quæ non advertimus, vel oblii fuimus, vel quæ pro peccatis non habuimus, ut etiam peccata aliena. Omnia haec quampidum patrantur, referuntur in libros illos; qui hic quidem clausi sunt, aperientur vero in judicio et patebunt toti mundo.

Cogitate hic in primis, auditores, quanta sit futura electorum gloria, cum eorum virtutes et virtutum opera que hic occultare studuerunt, quæque mundus derisit, cum ingenti gloria mundo ostentabuntur! Quam sordebunt ibi vitia! Quam virtutes coruscabunt! Quam gloriosus erit tunc, sese humiliasse, sua merita auxisse, et tamen interim occultasse, aliis se subjecisse, infimum locum ambiisse, injurias illatas æquo animo tolerasse, innocentiam suam non prodidisse, concupiscentias frænas? Huc respexit Dominus, cum suadens sedere ultimo loco, dixit: *Tunc erit tibi gloria coram simul discubentibus;* cum scilicet audies: *Amice, ascende superius.* Luc. XIV. Huc respexit Apost. cum I. Cor. IV. dixit: *Tunc laus erit unicuique a Deo.* Ac licet etiam peccata illorum dimissa revelentur, id tamen non ad ignominiam, sed ad gloriam potius cedet illis.

Cogitate deinde, quantus sit fatus impiorum pudor, cum universæ iniquitates eorum, quas tectis et parietibus ædium suarum occulabant, cum viverent, coram oculis totius mundi delegentur? Imprimis quantum confundentur illi, qui gravissima et enormia scelerâ perpetrarunt, quibus patrandis angulos, tenebras et noctem quæsierunt? Si enim fures, latrones, benefici adeo confunduntur cum in foro lectis eorum sceleribus, publico et infami supplicio afficiuntur, coram exiguo populo unius civitatis, ut multi sibi necem inferant in carceribus, ne in theatrum producantur: quid erit stare in conspectu totius mundi, et audire quodammodo relegi coram omnibus stentorea voce scelerâ sua? Moyses cum adhuc in aula Pharaonis commoratus, occidisset aliquando Egyptum, qui percutserat Hebreum, undique circumspiciens abscondit eum sabulo. Hoc vero cum quidam

Hebræus advertisset, et altero die ei exprobrates, timuit Moyses dicens: *Quomodo palam factum est verbum istud?* Exod. II. Si ergo Moyses territus fuit, quod unico Hebreo, viro de gente sua pateret ejus homicidium: quid erit diffamari de omnibus suis peccatis coram amicis et inimicis, coram notis et ignotis, coram Deo, angelis et hominibus? Caute quidem et circumspecte patrantur scelerâ graviora, sed nulla circumspectio Deum inspectorem fugit.

Deinde quam confundentur, qui per omne nefas innocentes persecuti sunt, spoliarunt, condemnarunt, prætextu tamen justitiae: cum eorum dolus, violentia et malignitas patebit toti mundo! S. Cyprianus martyr I. IV. ep. IX. scripsit ad Florentium criticum et obtrectatorem suum: «Hæc pro animi mei pura conscientia et Domini et Dei mei fiducia rescripsi. Habes tu litteras meas et ego tuas: in die judicii ante tribunal Christi utræque recitabuntur.» Sic Edmundus Campianus soc. Jesu in Anglia martyr in I. X. ration. alloquens impiam Angliæ reginam: «Veniet, inquit, Elisabetha, dies ille, qui tibi liquido demonstrabit, utri te dixerint, societas Jesu, an Lutheri progenies.» Væ nunc succumbenti, siquidem hic justus et victor haberet voluit.

Quantum confundentur Christiani facti, amici falsi, infideles famuli, et quotquot denique sub ovina pelle lupum absconderunt, cum eis larva detrahatur? Ut enim inepti pictores, cum sub velo (ne videlicet in contemplatione sua perturbentur) depinxerunt aedes publicas, remoto velo et exposita ad conspectum pictura, omnium prætereuntium censuris taxantur et exploduntur: ita quoque impii, qui hic sub velo et pallio fidei, amicitiae, religionis, turpiter vixerunt et suasmet animas fœde conspurcarunt, in die judicii cum remoto velo hominibus patefient, omnium cachinnis et ludibriis excipientur, juxta id Thren. II. *Plauerunt super te manibus omnes transeuntes per viam; sibilaverunt et moverunt capita sua super filiam Jerusalèm: Hæcine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ?*

Apparebit in hac domo seu in anima pictam fuisse sagam, in illa canem impudicum, in alia furem, etc. et dicetur: *Hæcine est illa matrona tam in templis frequens?* Hicce vir ille tam honestus, etc.? In vitis PP. I. V. tit. de compunctione: Monachus quidam qui negligenter vixerat, ægrotans raptus fuit ad judicium, et invenit matrem suam jam mortuam cum iis qui judicabantur. Illa autem ut vedit eum obstupuit et dixit illi: «Quid est hoc, fili? Et tu in hunc locum condemnationis jussus es venire? Ubi sunt sermones tui, quos loquebaris dicens: *Volo salvare animam meam?*» Confusus